

145

Licet autem iustas uxores habere non possent, concubinas tamen habebant, & cum eis, si non jure civili, probatas tamen naturali jure nuptias contrahebant; hinc quando honestâ missione donabantur, Imperator matrimonium, quod antea contraxissent, convalidabat, & in filios, quos antea suscepissent, patriam potestatem concedebat, ut facile constat ex missionum harum tabulis, quas V. in Grut. p. DLXXIII. & seqq. Spon. Miscell. pag. 224. & Maffeo Art. Crit. Diplom. lib. I. Antequam vero eorum connubia Principis auctoritate firmata essent, uxores suas *contubernales* appellasse eruere mihi videor ex Gruteri Inscriptione p. DLXII. 10.

D	M
DRVSIANA E	
FALISCA E	
CONTVBERNALI	
DVL CISSIMAE	
VIX . AN . XVIII	
M . IIII . D . VII	
C . SVLPITIVS F...	
EQ . SING . AVG .	
TVR . AELI PAL	

Vel *Hospitas*, ut ex nostra Inscriptione colligimus, & aliâ Gruteri p. DLXIV. 5. ab uxore, ut putamus, viro posita, quæ eadem fortasse est cum 3. p. DXXXIX.

F

D.M